

De R. P. Petro Czackert (1808-1848).

De R. P. Petro Czackert (1808-1848).

Ad Institutum nostrum magis magisque amandum cognitio sodalium eximiae virtutis laude florentium haud parum confert. Eos Rector Maior emeritus, Rm̄us P. Matthias Raus, in epistola kal. Iun. 1910 ad R. P. F. Dumortier data iure meritoque vocat *les gloires les plus pures de notre famille religieuse* (1); ex fructibus namque arbor cognoscitur.

Quae cum ita sint, quoad commentarii nostri ambitus et moderatoris vires id permittunt atque confratrum fraternum auxilium accedit, modo de hoc, modo de illo Instituti Alphonsiani sodali insigniore disseremus, ne oblivio illos obruat, quorum filii et heredes nos sumus, qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis.

In praesenti autem fasciculo, cum infra necrologium Patris Girardey exhibituri simus, Nova Aurelia oriundi, alterius Redemptoristae vitam ex Annalibus Patris Wuest (2) depromimus, qui domum Neo-Aurelianensem fundavit ibique sanctam mortem occubuit, Patris Petri Czackert (alias, et rectius quidem, *Czakert* vel *Čakert*). Nunc novae Aureliae Congregatio mire floret; (3) sed immensa maiorum nostrorum sacrificia in eiusmodi fructuum salutarium abundantia magnam partem habere quis est, qui neget? En vita huius herois, a praeclaro Provinciae Americanae historiographo scite conscripta.

P. Petrus Czackert in oppido Tetschen in Bohemia die 12 Decembris 1808 natus est. De eius pueritia nihil memoriae traditum est. Vix autem dubitandum, quin iuvenis fuerit pietate aliisque virtutibus eximius, cum iam

(1) F. DUMORTIER, *Fleurs de l'Institut des Rédemptoristines*, p. 6.

(2) Vol. I, 136 sq., 192 sqq., 216 sqq.

(3) Cf. v. gr. *Analecta VIII*, 283-286.

ea aetate religionis amplexandae desiderio duceretur. Viginti annos natus Congregationi nostrae nomen dedit et in collegio Vindobonensi tirocinio peracto, die 4 Augusti 1829 vota pronuntiavit. Deinde in domo Mauternensi studia prosecutus sacerdotio iniciatus est die 17 Ianuarii 1834.

Brevi tempore in sacro ministerio transacto, cum Patres in Americam essent mittendi, ipse Superioribus sese ad hanc vineam, tunc parum desiderabilem, colendam obtulit. Una cum Patre Prost anno 1835 in Americam missus P. Czackert primum in statione Norwalk Patris Tschenhens fuit socius et, dum ille Pater in aliis stationibus potissimum versatur, ipse in statione Norwalkensi assidue laboravit. Anno 1838 mandante Vicario Generali, Ven. P. Passerat, ad coloniam se contulit, quae in Indiana erat fundanda. Quantas ibi pertulerit miseras, nemo mortalium unquam didicit, cum rebus adversantibus inde reversus nunquam ne verbulo quidquam significaret.

A Patre Prost anno 1840 Pittsburghum vocatus ob existentes difficultates a Patre Alexandro (Cvitkovicz) Superior illius hospitii est constitutus. Attamen mox eo munere, quod ei difficilior erat, liberatus Patri Cartuyvels successoris suo omni quo fieri poterat modo adfuit. Incepta novae ecclesiae aedificatione P. Czackert arduum opus eleemosynarum in hunc finem colligendarum in se suscepit. Iter aggressus est per totam regionem et usque Novam Aureliam venit, ubi multos fideles Germanos omni fere auxilio spirituali destitutos invenit. Tot animarum misertus mansit, pro viribus earum saluti prospiciens. Primum in sacello S. Vincentii a Paulo, quod Gallis inserviebat, pro fidelibus Germanis singulis dominicis Missam celebravit, contiones et catechesim tradidit et sacramenta administravit. Interea in aedibus archiepiscopalibus hospitabatur. Tempore autunali ad illam partem hodiernae civitatis, quae tunc *Lafayette* vocabatur, domicilium transtulit. Ibidem a caupone protestantico aulam saltatoriam conduxit, quam in sacellum convertit, ubi in posterum sacra faciebat. Die 3 Decembris eiusdem anni fundum emit ducentorum decem pedum longitudinis et sexaginta pedum latitudinis, ad viam *Josephine* situm. Cuncta ad aedificationem ecclesiae necessaria iam erant parata, cum eodem mense Decembri 1843 P. Czackert Baltimoram est revocatus. Aedificium sacrum deinde ab aliis nomine Redemptoristarum in honorem B. M. V. in caelum assumptae inceptum et a. 1844 completum est, cuius curam usque ad redditum nostrum R. D. Masquelez habuit.

Anno 1844 P. Czackert Superior constitutus hospitii Baltimorensis ad S. Alphonsi, anno insequenti a Patre de Held, qui eius zelum et virtutes perspexerat, praeterea Superior totius missionis Americanae designatus est. Toto tempore, quo Baltimorae in vinea Domini laborabat, omnium viri apostolici virtutum dedit exempla. Plenus fide et caritate, omnes qui eius auxilium implorabant amplectebatur. Misericordia autem spirituali

ope indigentium numerus erat permagnus, praesertim tempore morborum grassantium. Cum vir esset orationis et vitae spiritualis dux valde eximius, communitatum religiosarum curam susciperet oportuit, praesertim filiarum S. Teresiae, quarum monasterium iam tunc Baltimorae exstitit.

Zelus et spiritus divinus, quo ardebat, defectum eloquentiae in illo supplebant, miti praeterea indole et singulari caritate, quibus omnium, etiam perditorum animos sibi conciliabat, salutem multorum hominum procurabat.

Annis 1844–1847 P. Czackert insuper omni quo poterat modo negotium fundationis Neo-Aurelianensis promovere et ad finem desideratum perducere nitebatur. Primum apud P. Alexandrum hanc causam urgebat, deinde tempore visitationis Patris de Held denuo hanc fundationem proponuit. Hic autem, ob exiguum Patrum numerum et quod caelum ibi parum salubre esse ferebatur, minime ad acceptandam fundationem perduci potuit. Tandem a. 1847, eum ipse ab officio Superioris esset liberatus, P. Czackert Visitatorem P. Martinum Stark enixe rogavit, ut ad fundationem illam inchoandam mitteretur, sibi persuasum habens maximam ibi spiritualem messem eventuram.

Die igitur 13 Septembris fundatio Neo-Aurelianensis a Visitatore P. Stark acceptata et mox a Ven. P. Passerat confirmata est. Sequenti die P. Czackert Baltimora profectus est desideratam vineam petiturus. Pittsburghum venit, unde Fratrem Ludovicum Kenning († 4 Apr. 1875) secum duxit. Cum illo tempore febris flava grassaretur, quae lues recentibus advenis exitialis esse solet, P. Czackert tardato itinere Cincinnati moratus et Patrum Iesuitarum hospitalitate usus, ibidem decem dierum exercitia spiritualia peregit. Deinde, accepta paterna benedictione venerabilis Episcopi Ludovicopolitani, Rm̄i Benedicti J. Flaget, ambo iter perrexerunt et die 23 Septembris tandem Novam Aureliam venerunt. Sequenti die, quae erat dominica, Archiepiscopus Blanc ipse Patrem Czackert sollemni modo in Ecclesiam B. M. V. introduxit fidelibusque, cura animarum tradita, ut spiritualem patrem praesentavit. R. D. Masquelez, quamvis aegro animo, ecclesiam et domum Patri Czackert cessit.

Ut decet filios Sanctorum, primordia huius fundationis sancta paupertate erant consecrata. Sacerdos ille saecularis Masquelez omnem supellecitilem secum tulerat, ita ut Patri et Fratri unum cochlear cum fuscinula et cultello maneret, quibus alternatim ad mensam uterentur. Ambo tamen ex angustiis paupertatis et omnimodis incommodis summam voluptatem percipiebant sicque digni fuerunt, quos Deus ut lapides primarios tanti operis eligeret.

Cum ecclesiae cura P. Czackert scholam incepit pro educanda prole, primum in domo viri cuiusdam, Staub nomine, mercede conducta, et Fr. Lu-

dovicus per primum mensem ludimagistri partes explevit, deinde alias vir in eius locum successit. Numerus parvolorum primum 14⁴ non superaverit, exeunte autem anno scholam iam 40 frequentaverunt. Sed redeamus ad Patrem Czackert.

Brevis fuit eius laborum cursus. Exorta lue indefessus erat in visitandis infirmis. A mense Augusto ad Novembrem quavis hebdomade 200, 300, immo 475 Novaes Aureliae interierunt. Die 28 Augusti P. Czackert ad aegrotum vocatus, eum iam mortuum invenit. Quo facto percusus summo dolore, et ipse letali morbo affectus est. Quarto infirmitatis die quemdam virum arcessendum curavit, quem multi sectae Liberorum Muratorum adhaerere suspicabantur. Ille statim ad aegrotum perductus, supra dimidia horae spatiū apud eum mansit. Exiit e cubiculo plorans magna que voce dicens se modo perspexisse amorem veri animarum pastoris. « Pater », inquit, « manum meam apprehendit nec dimisit, donec firmo promitterem me sectae Liberorum Muratorum, si socius essem, id quod multi dicunt, renuntiaturum. Nunquam talis societatis me participem fuisse asseveravi, sed ad eiusmodi accusationem ridere nec me defendere consueveram ». Talia dicens ingemiscere et lacrimare coepit.

Tanta mentis viriumque contentione P. Czackert prorsus debilitatus est pedesque frigescebant. Mox sacramentis moribundorum per Patrem Petesch refectus est, quae summa animi devotione ac profunda contritione suscepit. Ad sacram unctionem ipse infirmus preces alta voce repetivit, et si quid parum intellexerat, Patrem, qui compassionē motus verba vix proferre poterat, monuit, ut lente et alte loqueretur. Hisce peractis decem fere minuta mente collecta quietus permansit; deinde Fr. Ludovicum rogavit, ut preces recitaret, quas ipse mente secutus est. Tum gratias egit duobus viris, Mitchell et Connolly, qui ei semper sincera amicitia erant addicti et per totam infirmitatem ab eius latere non discesserant; atque eos nominatim appellans, perrexit: « Trado omnem proprietatem meam et quidquid possideo Ludovico Kenning », et se minus bene intelligi advertens, eadem verba iteravit, et manu Fratrem monstrans, addidit: « Huic Fratri » (*To this Brother present*).

Hisce dictis eundem Fratrem vocavit rogans ut oraret, quia cogitationibus superbiae turbaretur, saepius exclamans: « Mi Iesu, misericordia »! Eadem verba Frater ei saepius repetebat. Deinde formulam renovationis votorum sibi ita recitari voluit, ut ipse singula verba pronuntiaret, et in fine bis vel ter repetit: « Sic me Deus adiuvet et sancta eius Evangelia ». Postea ut habitus in lectulo poneretur rogavit, et Frater habitum, cingulum, rosarium, et imaginem Crucifixi ibi posuit. Mox omnes praesentes genua flectere iussit, ultimam benedictionem impertitus. Absque alieno auxilio sese in lectulo erexit, ab omnibus veniam petiit, et alta ac firma voce iis benedixit, ita ut omnes ad lacrimas moverentur.

Exinde iam non audibili voce locutus, labia tantummodo movendo usque ad extremum halitum pia suspiria effudit. Die tandem 2 Septembris 1848 hora circiter septima matutina animam suam in manus Creatoris placidissime reddidit. Sepultus est in ecclesia nostra B. M. V.

Merito memoranda videntur quae a. 1860 circa huius Patris reliquias acciderunt. Plures confratres, qui subsequentibus annis Novae Aureliae obierunt, in eadem ecclesia sunt sepulti. Anno autem 1860, cum nova ecclesia B. M. V. esset completa, antequam vetus destrueretur, corpora illorum confratrum ad novam ecclesiam translata sunt. Tunc Patris Czackert reliquiae repertae sunt integrae et omnino incorruptae, quod omnes qui aderant mirabantur et singularis eius sanctimoniae argumentum habebant. Virtutes defuncti profecto tales fuerunt ut sanctitatis famam confirmarent. Eluxit enim in eo viva fides et inconcussa fiducia et amor erga Deum ardentissimus. Inde procedebat indefatigabilis animarum zelus, religiosae disciplinae studium, humilitas et mansuetudo caritasque fraterna, quibus inter confratres excellebat. Archiepiscopus Neo-Aurelianensis Blanc ob eandem rationem Patri singulari amore et veneratione addictus erat neque asserere verebatur ob sanctitatem huius Patris, qui domui nostrae fundamenta iecisset, illam fundationem tanta benedictione caelesti perfrui.
